

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**1094**

**1092**

**1098**

**1088**

**1103**

**1083**

**1043**

**0993**

**0593**

**0093**

**Ende**

**Anfang**

521

earum videremus, (**66 a**) vix tamen quosdam juvenes milites compescere poteramus, ne eis aliquod signum complacentiae ostenderent. Dum autem diu ibi moraremur, misit Calinus nobis Arabem nuntium, ut ad tentoria descendemus citius, et erat etiam male contentus de nobis. Descendimus ergo et coenam nostram paratam invenimus et cum magna et insueta laetitia manducavimus. Accidit enim nobis ex potu aquae, ac si de fonte rubro, qui in Aethiopia est, bibissemus, de quo qui bibit, ut dicitur, limphatus efficitur. Nobis autem lactantibus sedebant Sarraceni nostri et Arabes moesti, pallentes, silentes, propter eorum maledictum jejunium. Sed statim sole profundius chaos immerso, quando nos quietem quaesivimus, ipsi vice versa incipiebant insolescere, cantare, ululare, mugire, comedere, bibere, et nobis quasi tota nocte nullam requiem tribuebant et cum ista inquietudine ritum sui jejunii explebant. Nonnumquam surreximus et de tentoriis nostris ad eos cucurrimus et cum minis eis silentium imposuimus; aliquando etiam, quando faciebant subcinerios panes, cum eis mansimus viventes fatuitates eorum.

### Iter solitudinis et terror peregrinorum.

Secundo die Octobris mane quidem surreximus, sed tarde recessimus propter trium camelorum perditionem, quos putabant furto ablatos, sed vestigia eorum sequentes invenerunt in deserto in loco pascui. Post ortum solis reducti sunt et ita bestiis oneratis ab Helim recessimus et in publica strata per latissimos campos maris rubri littora descendimus, a tergo autem sequebantur nos quidam cum camelis aliis per viam, quae descendit a Thor, et timuimus, ne forte essent praedones, quia valde velociter ibant nobisque appropinquabant; cum autem circa nos essent, vidimus camelos ornatos et homines curiales magis timuimus. Porro dominus illius Corrobanae erat vir pinguis et decorus et in medium nostrum cum suo dromeda se ingessit iratoque vultu circumspiciens singulos ad Calinum cum indignatione dixit: cur tu, Sarracenus cum sis, ausus es Francos armatos per terram domini Soldani ducere, ut quasi armati procedunt in publica regia strata? Cui Calinus